

Philippus eunuchum Candacis reginae prius catechizat quam baptizet.

XI. Unctio baptizandi. Dion. de Eccl. hier. c. IV. Tertul. l. I. advers. Marcion. « Accepistis, (inquit Ivo Carnot. ser. de sacram. dedicat.) et oleum sanctum in pectore, ut vigeret in corde vestro sapientia. Accepistis, et in humero vestro, ut in exercitio bonorum operum indeficiens servetur patientia, neque aliquando noverit sinistra vestra, quid faciat dextera vestra. Quia vero in humeris vigor constat portandi oneris, hujus partis unctione Christi athleta dedicati estis, ut sciatis vos ad certamen esse vocatos. » Juxta Ambrosium, ut magis idonei sint ad decertandum cum spiritualibus inimicis. Vel ut habeant cor purum ad malas cogitationes ejiendum, et humeros fortes ad perferendum adversa. Item quia oleum penetrat carnem, ne quid reliqui maneat de Satana in homine; ut Rabanus vult. l. I. instit. cler. c. XXVII. Denique ut sciamus gratiam baptismi non ex nostris meritis, sed Dei misericordia accepisse.

XII. Recitatio symboli, si adultus sit, aut interrogatio, si infans. S. Dion. de Eccl. hier. c. ult. « Offeruntur namque, ait S. Aug. ep. XXIII. parvuli ad excipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus (quamvis et ab ipsis si et ipsi boni fideles sint) quam ab universa societate sanctorum atque fidelium, etc. »

XIII. Trina immersio vel aspersio in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti. Can. apost. L. Ea vero ut S. Athanasius q. CXXXV. ait, Christi triduanam sepulturam et resurrectionem significat. Unde ad Rom. VI. dicitur: *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vite ambulemus.*

XIV. Infans chrismate super verticem inungitur, Dion. de Eccl. hier. Tertul. de bapt. VII. idque ideo a S. Silvestro, teste Rabano Mauro constitutum, ut qui ante confirmationem Episcopi decedunt, saltem hac presbyterali (et si in infans efficaciam) inunctione non careant, juxta D. Thom. p. III. q. LXXI. ut baptizatus virtutem conservandi gratiam consequatur. Item ut sciat se accepisse Spiritus Sancti gratiam, esseque jam verum Christianum, id est, unctum et capti Christo insitum.

XV. Alba veste induitur: S. Dion. de Eccl. hier. c. I. et II. ut significetur eum veterem ex se hominem et novum induisse. Item ad mysterium resurgentis Ecclesiae. Unde olim in Paschate per septem dies in albis incedebant. Rab. Maurus l. II. de inst. cleric. c. XXXIX.

Unde dominica in albis dicta, quod eo die tolleretur alba vestis a nuper baptizatis. Solebat autem primitus bis tantum in anno, Paschate scilicet et Pentecoste, extra mortis necessitatem et persecutionis tempora, baptismus administrari, Tertul. l. de baptism. c. XIX. Ejus loco nunc album indusiolum injicitur infanti, ad significandam resurrectionis gloriam, animae pulchritudinem et innocentiam. « Accepisti vestimenta candida, ut esset indicium, quod exueris involucra peccatorum et indueris innocentiae casta velamina, » ait S. Ambr. l. de iis qui initiantur cap. VII. Notat etiam spiritualem libertatem et manumissionem, ut ait Tertullianus: siquidem Romani veste candida donabant servos, cum eos manumittebant. Item internam laetitiam spiritus. Denique ut scias, quod anima tua tam pura et innocens a Deo requiratur, quam pura e fonte exiit.

XVI. Cereus ardens ei porrigitur: de hoc Greg. Nazianz. orat. V. in sanct. bapt. ad fin. ait: « Lampades quas accendes illius luminum gestationis figuram gerunt, cum qua splendidae et virgines animae splendidis fidei lampadibus Christo sponso obviam prodibimus. » Docetur ergo fidem vivam habere et conservare ac lumen evangelicae doctrinae sequi, juxta id Psalmi CXVIII. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Sic Exod. cap. XIII. columna ignis praecessit transeuntes mare rubrum. Lumen fidem significat, calor charitatem, longitudo candelae spem. In manus datur, ut eadem opere exerceamus.

XVII. Adducitur ad altare. Gregorius Nazianzenus loco cit. inquit; « Statio haec, qua confestim a baptismo ante magnum sacrarium stabis, futurae vitae gloriam praesignat. » Haec sunt, auditores, quae de sanctis illis caeremoniis senserunt et scripserunt SS. Patres; quae proinde ipsorum verbis referre volui, ne cui videantur vel ipsae caeremoniae recenter introductae, vel ipsarum significata a nobis excogitata et conficta. Videmus ergo quantum religionis posuerint antiqui Christiani in hoc uno baptismi actu, et quam degeneres ab iis sint haeretici, qui venerandam illam Ecclesiae canitiem spernunt, rident et subsannant: similes pessimis illis pueris, qui canitiem Elisae deluserunt. Nos ergo missis illis, stemus in vestigiis patrum nostrorum, nec dimittamus eos, quos tradiderunt nobis, sacros ritus. Denique quo salubrius iis utamur, expendamus etiam quid ii sibi velint, etc.

## CONCIO IX.

## DOCUMENTA.

I. Mundo non fidendum. — II. Vana gloria non quaerenda. — III. Ad Deum recurrendum, non ad mundum. — IV. Christus patriae cultu colendus. — V. Nosce teipsum. — VI. Magui se humiliant.

## THEMA.

*Ego vox clamantis in deserto.* Joan. I.

Cum mandatum principis populo denuntiandum est, praeco aliquis mittitur, qui excitato prius tympani strepitu ad convocandum populum proclamat id, quod in mandatis habet, auditorque arrectis auribus a conferta plebe. Praeconem Christi Domini nostri fuisse Joannem Baptistam scimus; idque testatur ipse in hodierno evangelio dicens: *Ego vox clamantis in deserto.* Quoniam ergo munus sui praconij in hac et sequente dominica obitus est, idcirco non abs re initio adventus strepitus divini judicii prius excitatus est, ut praconem hodiernum attentius audiremus. Quare curramus et nos, vocemque hujus praconis, qua saltem ad doctrinam hodierni evangelii attinet, attentè percipiamus.

I. Clamat illud Isaiae cap. XL. *Omnis caro fenum*; quo significatur mundo non fidendum, ejusque blanditias et adulationes fortiter ac constanter respuestas. Videntur, secundum aliquos, Pharisei ea intentione legationem destinasse ad Joannem, ut Messiae dignitatem ei offerrent vel persuaderent, ut sensit S. Chrysostomus (tametsi alii sentiunt serio interrogasse et bona intentione, an revera esset Messias) seque non difficulter eum recepturos monstrarent. Id enim videtur illis exprobrasse Dominus Joan. V. cum ait: *Ille (Joannes) erat lucerna ardens et lucens: vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus.* Verum frustra egerant rete Pharisei ante oculos pennati Joannis; jam dudum ille norat vanitatem et inconstantiam gloriae terrenae. Id enim cum de Joanne prophetaret: *Vox clamantis, etc.* mox clamare jussus est, nimirum: *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri, exsiccatum est fenum et cecidit flos.* Hoc ergo noster Joannes non poterat nescire, qui se vocem clamantis ex eodem illo capite noverat. Fuisset ergo gloria illa, si acceptata ab eo fuisset, non nisi flos agri, mox siccandus: et forsitan ab ipsis Phariseis pro gloria brevi ignominiam reportasset. « Quemadmodum enim pueri ludentes (inquit S. Chrysostomus hom. XVII. in ep. ad Rom.) ex faeno coronas invicem imponunt, coronatum autem saepenumero ejus rei ignarum, post tergum irrident: ita sane et nunc, qui te in faciem praedicant, apud seipsos clanculum subsannant; atque ita quid aliud fit, quam quod et nobis invicem

faenum coronantes imponimus? » Ergo vana istiusmodi gloria non nisi faenea corona et flos agri est, ut diximus, quam sibi a Phariseis imponi minime tulit Joannes. Moysen potius adhuc infantem imitari voluit, qui cum a filia Pharaonis educaretur, atque ut scribit Josephus lib. II. antiq. c. V. ei Pharaon rex diadema suum imponeret, capiti detractum in humum prolabi passus est et pedibus calcavit. Ad haec, ut scribit Apost. ad Hebr. XI. *Grandis factus negavit se esse filium filiae Pharaonis.* Hoc, inquam, in hodierno evangelio fecit etiam Joannes, dum corollam vanae gloriae (gloriosum scilicet Messiae titulum) quam ei Pharisei deferebant, et quodammodo imponebant, detraxit et pedibus calcavit, dicendo: *Non sum: non sum: item: Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.*

Nemo igitur mundo fidat: siquidem instar Dalilae blanditis hominem circumvenit et saepenumero extollit, ut eundem graviore casu dejiciat. Expertus id in se est Pertinax imperator (sic appellatus, quod imperium sibi oblatum pertinaciter respuerit et coactus tantum suscepit, ut scribit Sextus Aurelius) qui primum grammaticam professus, postea alimentorum procurator, inde consul designatus, demum Africae proconsul factus, et ex hoc a militibus imperator appellatus est. Sed ab iisdem brevi, post octoginta duos dies, obruncatus est. Prudentes ergo et cordati viri Joannem nostrum imitati, oblatis mundi honoribus, sibi non debitis, fortiter obnixi sunt; veluti Sigismundus Poloniae rex, qui superiori aetate a Suecis post ejectum Christiannum: tum etiam ab Hungaris atque Bohemis, post miserabilem Ludovici fratris filii interitum, electus et expetitus, utramque electionem, utrumque etiam regnum repudiavit. Similiter Henricus primus Saxoniae dux, qui cum diadema imperii a pontifice sibi delatum respuisset, viri prudentes ad caelum manus levarunt, quod tali modestia principem haberent. Cranz. l. III. Saxon. c. III. Quin et Suetonius de Germanico patre Caligulae scribit, cum post mortem Augusti a militibus imperator contra Tiberium nominatus esset, primo verbis plurimis seipsum excusasse, quibus cum nihil proficeret, gladium distinxisse, quasi sibi manus illaturum, ut a proposito milites revocaret; sed neque hac via procedente, multis et variis artibus usus est, donec compesceret seditionem et militum animos ad Tiberium rursus inclinaret; maluitque privatus vivere in otio quam inter tot negotia imperii perpetuis calamitatibus exercuari. Discant Christiani vel ab homine ethnico. Fuit autem hic Germanicus ob egregias corporis animique dotes non suis tantum, sed et hostibus tam carus, ut in ejus obitu reguli

aliqui barbam posuerint et uxorū capita raserint. Parthorum rex venatione abstinerit.

II. Clamat illud, quod Isaias cit. loco subdit: *Omnia gloria ejus (carnis) quasi flos agri; hoc est, gloriam et laudes hominum contemnendas repellendasque maxime indebitas.* Audimus enim Joannem, quam constanter titulos honorum sibi oblatos a se amoliat et repellat: tamen sibi oblatos a se amoliat merito acceptare poterat. Erat enim Elias in spiritu; erat et plusquam propheta; respondet tamen: *Non sum, non sum.* Atqui ex hac ipsa sua dejectione veram laudem consecutus est, quam utique perdidisset, si Pharisæorum laudem acceptasset. Moyses Pharaonis favorem Ægyptique opes et fastum contempsit, et postea fuit ipso Pharaone illustrior ac potentior; nam Pharaoni parebant homines: Moysi vero maria, flumina, rupes et alia creaturæ. Qui mundi gloriam ardentem querit, (inquit Hector Pinctus in c. VI. Ezech.) ipsam non invenit, qui vero eam contemnit ipsam adipiscitur; gloriam enim contemnere est illam obtinere. Hæc ratione ductus aiebat divus Chrysost. « Contemne divitias et eris dives, contemne gloriam et eris gloriosus. » Cum olim pictor quidam insignis equum pinxisset, velletque illi juxta os spumam depingere, nunquam potuit. Quocirca spongiam, in quam tergebat penicilla, quam manu tenebat, iratus in picturam projecit, ut refert Plutarchus, ut illam linniret et macularet et penitus everteret. Sed multo aliter evenit; nam spongiæ variis imbutæ coloribus contactu spumam, quam solers artis magister nequiverat efficere, casu expressit. Ubi existimavit picturam dissipare, eam perfecit; sic si magno ingenii artificio mundi gloriam comparare volueris, id efficere non poteris; nam inanem illam gloriam appetere et inquirere ignominia est: sin autem ejusmodi gloriam spreveris inanem et in temeritate multitudinis constitutam, in eamque projeceris contemptio-nis spongiam, veram profecto gloriam consequeris; illa enim falsæ gloriæ abjectio, est veræ gloriæ consecutio.

III. Clamat id, quod subdit Isaias: *Exsiccatum est fenum et cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum.* Ad Deum potius recurrendum in nostris necessitatibus, quam ad creaturas: ad solida bona, quam ad fluxa. Hoc enim noster Joannes digito quasi ostendit, cum missos ad se legatos dirigit ad Christum dicens: *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est;* quasi dicat quid ad me venitis? Non sum ego quem queritis, Messias vester: ipse est, qui inter vos stetit; ego vox illius tantum sum, et fenum brevi exsiccandum, ille verbum est mansurum in æternum, me oportet minui, illum autem oportet

tet crescere, ad illum mittite, ad illum itote. Mira Pharisæorum stultitia! Audiunt a Joanne Christum in medio ipsorum versari, nec tamen interrogant quisnam sit? Ubi degat? Unde agnosci queat? Ad vocem currunt, Verbum ipsum prætereunt. Quos tamen imitantur alii quamplurimi, qui omisso Verbo, ad voces; omisso Deo, ad creaturas; ommissa veritate, ad mendacium; ommissis solidis, ad fluxa bona pergunt. Quid enim creaturæ omnes nisi voces, clamantes non se, sed Deum esse verum ac summum bonum, verum ac summum opitulatorem, summam veritatem, etc. *Ipsæ species creaturarum, inquit sanctus Augustinus in Ps. XXVI voces sunt quedam creatorem laudantium, etc.* Ad hunc ergo nos ablegant omnes creaturæ; divitiæ, honores, deliciæ, pulchritudo, regna et reges dicunt: Non sumus nos is, quem queritis: voces tantum sumus, mox transituræ, ventus et mendacium sumus, desiderium et appetitum vestrum satiare minime possumus. In medio vestrum Deus est, Verbum, veritas, solidum bonum; quem tamen vos nescitis et præteritis. Ut qui ergo, relicto opitulatore Deo, curritis ad rapinas, dolos, divinatores? Ut quid, relicto vero bono, diligitis vanitatem? Ut quid, relicta veritate vos arguente et sanante, queritis mendacium et dicitis: *Loquimini nobis placetia?* Detonat etiam contra istos Jeremias c. II. dicens: *Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis?* Flumen Ægypti Nilus est, flumen Assyriæ Tigris, solebant Judæi ab Ægyptiis oppressi, confugere ad Assyrios; et ab Assyriis pressi, confugere ad Ægyptios, ut ait ibi S. Hieronymus. Idem faciunt, qui in suis necessitatibus, relicto Deo, ad creaturas recurrunt. Et qui hæc nisi aqua Nili turbida et limosa, hoc est, multis miseriis, curis, laboribus et fastidiis permixta? Ad hæc crocodilis quoque, id est, peccatorum admisorum remorsibus (crocodilus enim mordax est, et ubi præda fraudatur, morsum in se convertit, Pier. l. XXIX.) referta? Quid nisi aqua Tigris celerrimi fluxus celerrime pertransiens? Inde enim Tigris nomen, a tigride celerrimi cursus bestia.

IV. Clamat id quod Apostolus scribit ad Phil. II. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum;* hoc est, ut ab omnibus adoretur cultu latriæ, velut Deus, et ut omnes coram eo se humiliant quantum possunt. Si enim Joannes, quo sanctior non fuit inter natos mulierum, dignum se non reputat, qui Christi pedibus abjectissimum præter ministerium: annon manifeste indicat Christum cultu latriæ adorandum etiam ratione humanitatis suæ, utpote quæ non nisi in Verbo

subsistit? Nullus in mundo tantus est Dominus, cui alius licet abjectissimus non sit dignus præstare aliquod servitium: pari enim conditione et nascimur omnes et morimur. At ex Joannis testimonio verissimum est, neminem mortalium, addo et angelorum, quantumvis magnū, ex se dignum esse, ut Christo, vel corrigiam calceamenti solvat. Unde sequitur infinitam esse distantiam Christi ab hominibus, ipsumque vere ut Deum coli, ac qui ipsi serviunt, vere magnos fieri et ad summam dignitatem extolli. Deinde si Joannes indignum se existimat stare coram Christo, et ad calceos se demittit, imo indignum se æstimat, qui eos Christo extrahat: quis non corruat in genua, et faciem suam Christo præsentem in Eu charistia? Dicite enim si cerneretis imperatorem Romanum corruere in genua coram aliquo, nonne diceretis: Proh quis et quantus iste est? Si non ipse Deus, certe angelus quidam est. Nunc ergo omnium virorum sanctissimus ad calceos Christi se demittit, imo eo loco et ministerio se indignum clamat: quid ergo faciemus nos? Certe nos hoc ipsum diceremus huic Joanni, si eum coram cerneremus: indignos, inquam, nos omnes reputarem, qui calceos ei detraheremus; quid jam nos ad Christum, si tam viles coram Joanne? Si sol coram Christo se abscondit, quo se recipient stellæ, quæ coram sole extinguuntur?

V. Clamat illum Græcum oraculum; *Nosce teipsum, quod Plato ait fuisse quondam in foribus templi Delphici inscriptum, veluti dignum, quod Deo tribueretur.* Quam alte enim Joannes in sui ipsius cognitionem descendit, indicat cum vocem tantummodo se no minat, in reliquo per negationes solum se explicat: *Non sum, non sum,* quasi dicat nihil sum respectu Christi. Jam vero S. Chrysostomus hom. XXVI. in Matth. ait: *Ille est maxime seipsum sciens qui se nihil existimat.* Præclare etiam in hac scientia versatus fuit David, qui Ps. XXXVIII. ait: *Substantia mea tamquam nihilum ante te, et alibi se pulicem unum, canemque mortuum vocat.* I. Reg. XIV. Boni igitur et sapientis viri est, seipsum assidue contemplari, non alios. Sic enim uti quatuor illa animalia visa ab Ezechiele c. I. prorsum tantum aspiciabant ad ea, quæ ante se erant, sine corporis conversione ad alia: *Unumquodque,* inquit textus, *ante faciem suam gradiebatur:* hoc faciet unusquisque cum seipsum sibi statuet ante faciem suam. Hodierni Pharisæi ad Joannem solum respectant: *Tu quis es? Quid dicis de teipso? Quid baptizas?* Quales vero ipsi sint, aut quid sibi faciendum sit, minime interrogant. Plurimos porro tales invenimus etiamnum, qui in toto mundo oculos circumferunt, omnia rimantur, præterquam

semetipsos. Quare D. Basilius hom. IX. in hexam. mentem ejusmodi hominis cum oculo comparat, qui cætera quidem omnia videt, seipsum tamen non videt. Periculoso in statu isti sunt, non secus ac qui in labyrintho oberrant. Nos ergo accipiamus hoc filium Thesei, cognitionem nostri, quo gressus nostros dirigere et e mundi laqueis extricare nos valeamus.

VI. Clamat id Ecclesiastici III. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Quo enim altioris stature quis est, eo profundius se inclinare et deprimere debet ingressurus per humile ostium. Cæli vero janua humilis et angusta est. Quoniam igitur Joannes, quoad gratiæ staturam, maximus fuit inter natos mulierum; idcirco in hodierno evangelio, uti et alibi, mirum in modum se dejecit. Repellit enim honorum titulos sibi oblatos, vocem se appellat, Christum asserit post se venturum velut Dominum post servum; ait eum ante se factum, scilicet ab æterno genitum, addit indignum sese esse, qui calceamentorum ejus corrigiam solvat; et alibi, qui calceamenta ejus portet. Quis unquam tot verborum ponderibus semetipsum extollere visus est, quot iste sese deprimat? Nimirum non pro summo loco, quemadmodum mundi sectatores: sed pro infimo contendit hic Joannes, quasi jam audisset, vel certe in spiritu prævidisset Christi doctrinam de ambiendo ultimo. S. Paula Romana degens in terra sancta *Satis mirata est,* inquit S. Hieronymus in ejus epitaphio, *quod distributor possessionum (Josue) sibi montana et aspera delegisset.* Etenim Josue dux Israelitici populi postquam omnibus tribubus suas in Palæstina assignasset possessiones, ad extremum ipse delegit et postulavit sibi a filiis Israel habitationem suam omnium vilissimam Thamnathsaaran scilicet urbem dirutam, loco aspero et horrido, sterili et montoso sitam. Res admiratione digna hæc erat, summum totius populi ducem deligere sibi possessionem ultimo loco, et ultimo ac vilissimo fundo. Sed non minus admirandum est, quod Joannes inter natos mulierum maximus, et ipse sibi ultimum in Christo elegit locum, dum ad ejus calceos et corrigias calceorum se demisit, quodque amplius est, eo sese loco prorsus indignum ratus est. Verum uti Josue propter suam illam modestiam et humilitatem gloriosior factus est, ita ut ejus sepulchrum una cum civitate Thamnathsaara adhuc tempore S. Hieronymi superstes esset et celeberrimum fieret: ita noster Joannes, quo magis se humiliavit, tanto magis nunc laudatur, tantoque in cælo major factus est. Quare bene S. Chrysostomus hom. III. in Matth. ait: *Si bona tua magna vis facere, noli ea magna putare.* Centurio ait: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum; et hoc ipso dignus factus est,*

ut commendaretur super omnes Judæos ab ipso met Christo. Paulus dicebat : *Non sum dignus vocari apostolus* : hinc inter apostolorum principes unus evasit. Petrus aiebat : *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum* ; hinc Ecclesiæ fundamentum constitutus est. Joannes ait se non esse dignum qui solvat Christi sandalia : ait se vocem, adeoque pene nihil esse, et hinc meruit a Christo præponi omnibus viris. Quanta vis humilitatis ? Quo magis sese deprimit, eo magis extollitur. Nimirum gaudet Deus res ex nihilo facere, quod is modus infinitæ ejus virtutis proprius sit, et clarius eam prodat. Ut igitur hanc rerum universitatem et pulcherrimam speciem ex nihilo procreavit ; ita in animis hominum mundum ornatumque virtutum ex nihilo, id est ex humilitate, qua suum quisque nihilum profiteatur, efficere solet. Quare auditores vultis esse magni ? Parvi estote. Primi esse vultis ? Ultimi estote, in incessu, loquela, habitatione, patinis, lectis, mensis aliisque quibuscumque rebus. Impetrare quid a Deo vultis ? Annihilate vos coram ipso. Ita enim S. Theresia dicebat : *Receptura a Deo gratiam aliquam singularem, soleo prius annihilari seu in meum nihilum deduci, ut videar mihi nihil esse, nihil posse* : refert Fran. Ribeira in ejus vita. Alibi audivimus imperatoris cujusdam vocem : *Hæc omnia fui, hodie nihil sum*. Nos contraria via incedamus. Hic in terra nihil simus, ut in cælo simus omnia.

## CONCIO X.

## MYSTERIA EVANGELICA.

I. Ad quid legatio Joannis ? — II. Quomodo Joannes negat se Eliam ? Et quomodo prophetam ? — III. Quomodo Joannes vox clamantis ? — IV. Cur in deserto Joannes ? — V. Cur baptizavit ? — VI. Cur baptizatus Christus ? — VII. Quæ differentia inter Christi et Joannis baptismum ?

## THEMA.

*Miserunt Judæi ab Hierosolymis, sacerdotes et levitas ad Joannem.* Joann. I.

Videtur Ecclesia mater nostra agere nobiscum in hoc adventu, quo modo pia mater cum suis liberis, cum audit suum maritum e loginqua terra tandem rediturum. Hoc enim intellecto, consolatur liberos suos, et bono animo esse jubet, siquidem patrem suum brevi conspecturi sint : quotidie etiam nuntiat viciniorem eum fieri, sed interim etiam monet, ut abjectis sordibus festivas suas vestes producant et expurgent, iisque induti patrem excipiant. Simul etiam pii et modesti sint quo patri suo placeant. Ad eundem prorsus modum, dum Ecclesia mater nostra expectat sponsum suum et communem nostrum parentem hoc adventus

tempore, crebro nobis nuntiat, brevi illum adfore. Unde initio adventus sic intonuit in officio : *Regem venturum Dominum venite adoremus*. Hodie velut viciniore facta intonat : *Prope est jam Dominus, venite adoremus*. In vigilia Nativitatis quasi vicinissima canit : *Hodie sciatis, quia venit Dominus, et mane videbitis gloriam ejus*. Interim vero et illud monuit initio adventus in epistola : *Proprior est nostra salus, quam cum credidimus ! Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. Non in comessionibus et ebrietatibus, etc.* Et in hodierna epistola : *Fratres, gaudete Domino semper, iterum dico gaudete ; modestia vestra nota sit omnibus hominibus : Dominus enim prope est*. Porro nunc audiemus, quid evangelium nobis narret.

I. Quæritur : quæ causa legationis ad Joannem ? Respondetur. Videri fuisse eam, ut indagarent Judæi, num esset Christus ; et si hoc negaret, quis tandem esset, ne forte quid novi dogmatis introduceret, cum baptizare audirent. Prior pars colligitur ex responsione Joannis, qui ad mentem et intentionem Judæorum respiciens, primo statim respondit : *Non sum ego Christus*. Videbant etiam tempus Messias constitutum jam adesse : eo quod sceptrum a Juda ad regem alienigenam et Idumæum translatum viderent, etc. Hinc cogitare poterant, num Joannes forsitan esset Messias. Posterior ex legatorum interrogatione : *Quid ergo baptizas, etc.* Non ergo videntur juxta probabiliorem sententiam voluisse Judæi offerre Joanni dignitatem Messias, ne Christus pro Messia reciperetur ; siquidem tunc Christi nondum vigeat fama, ut vel in hodierno evangelio testatur Joannes dicens : *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis* ; nullum enim adhuc miraculum fecerat. Sed quomodo cogitare poterant Joannem esse Messiam, siquidem sciebant non esse natum in Bethlehem, nec ex tribu Juda, nec miracula fecisse ? Respondetur : Forsitan asserenti non erant credituri, sed insidias potius structuri, eumque accusaturi. Quod, si credituri erant, non erat illis difficile, prout fieri solet, in favorem Joannis explicare objectiones illas. Dixissent enim modo aliquo, verbi gratia, ex matris linea ortum de tribu Juda, natum prope Bethlehem ; miracula facta in ejus natiuitate, etc. Ita nimirum fit etiam in mundo : qui bene alteri vult, omnia in ejus favorem explicat et trahit, curva ad rectitudinem, recta ad curvitatem.

Sed qua ratione cogitare poterant esse Eliam ? Responderunt, quia sciebant per Malach. c. IV. prædixisse Deum adventum Eliæ ante adventum Messias : *Ecce ego mitto vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus*

*et horribilis*. Hoc enim de primo tantum Messias adventu, quem et solum futurum putabant, crediderunt. Sed cum Joannes esset juvenis et ex patre Zacharia natus, quomodo Eliam esse credere poterant ? Respondetur : Forsitan etiam dolo interrogabant, non credituri, si assereret, vel etiam ex ignorantia ; neque enim mirum eos, qui in Christo toties et tam graviter errarunt, errare etiam in Joanne potuisse. Dicebant alii Christum esse Joannem Baptistam, alii Eliam alii Jeremiam, aut unum in ex prophetis, Matth. XVI. Quid mirum si eodem modo errarint circa Joannem ? Ambulabant Judæi ut cæci, ibi quærebant Messiam, ubi non erat, et ubi erat non quærebant. Vide ingenium mundi, qui perpetuo quærit, nunquam tamen sapientior aut melior evadit, quia vel non quærit bona intentione et animo discendi, ut illi ; vel quia inutilia quærit ; vel non ibi, ubi debet. Quam multi huc assidue conveniunt ad concionem, nihilo tamen inde meliores fiunt ? Quia nimirum vel non veniunt credituri, vel non animo se emendandi, vel animo discendi tantum et audiendi nova, etc.

II. Quæritur, quomodo vere respondit Joannes se non esse Eliam, nec prophetam ? Nonne de eo Christus dixit, Matth. XI. *Ipse est Elias, qui venturus est ?* Et rursus ibidem : *Quid existis videre ? Prophetam ? Etiam dico vobis, plusquam prophetam*. Respondetur : Joannem negare se esse in persona Eliam, Christum asserere, esse in spiritu Eliam, uti prædixit Gabriel Zachariæ : *Ipsæ præbit ante illum, in spiritu et virtute Eliæ*, Luc. I. In spiritu autem Elias erat, tum quoad officium, tum quoad vitam similitudinem. Officium Eliæ est præcedere adventum Christi secundum, disponere et præparare homines ad illum, peccatores convertere, obstinatos arguere, etc. Vita ejus erat solitaria et casta, amictus zona pellicea circa lumbos, animus heroicus in arguendo Achab<sup>a</sup> persecutio illata a Jezabele. Similiter officium Joannis erat præire adventum Christi primum, et ad eum homines disponere, convertere corda patrum in filios, parare Domino plebem perfectam, arguere reprobos, etc. vita item solitaria et casta, vestitus simillimus, animus idem in arguendo Herode, persecutio par ab Herodiade. Unde patet hominem apud Deum magis denominari a spiritu, quam a corpore et externis bonis. Ille sapiens est, qui cælestia, non qui terrena sapit et intelligit : ille dives non qui multum auri, sed qui multum habet meriti : ille pulcher, non qui faciem, sed qui conscientiam habet immaculatam. Ille fortis et potens, non qui alios vincere, sed qui seipsum potest : ille denique Christianus, non qui rosarium in manu gestat, sed qui spiritum habet Christi,

juxta id ad Romanos capite VIII. *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus*.

Sed quomodo prophetam se negavit, cum fuerit plusquam propheta ? Respondetur : Joannem non fuisse talem prophetam, quales erant antiqui prophetae, qui Christum a longe venturum prænuntiabant, sed talem qui Christum jam præsentem digito monstrabat. « Propheta ministerium est, (inquit S. Gregorius hom. VI. in evang.) ventura prædicere, non etiam demonstrare. Joannes plusquam propheta est, quia eum quem præcurrendo prophetaverat, etiam ostendendo monstrabat. » Unde in hodierno evangelio Christum præsentem indigitat : *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est*. Ita Joannes, cum haberet rationem qua se et Eliam et prophetam assereret, quæsivit potius rationem qua utrumque negaret. Vide quam dissimilis sit mundo ; hic enim, quantum potest, distendere et instare omni modo ac via conatur.

III. Quæritur, quomodo Joannes est vox clamantis ? Respondetur : Vocem fuisse primo ; quia sicut vox manifestavit verbum in mente latens, sic Joannes manifestavit Verbum Patris, Christum latentem adhuc inter Judæos, juxta id : *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis*. Altera autem die dixit : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Joan. I. Secundo, quia sicut verbum mentis prius est ipsa voce, per quam exprimitur, (prius enim rem mente concipio, quam voce exprimam) in audiente tamen prior est vox, quam verbum : quia is mediante voce verbum, adeoque prius vocem quam verbum audit ; ita absolute Christus prior est Joanne, quia in mente Patris fuit ab æterno, respectu audientium vero prior Joannes Christo fuit, quia præcessit notitiam Christi in mentibus auditorum : prior natus, prior concionatus, prior mortuus. Utrumque expressit Joannes cum dixit : *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est*. Tertio, quia sicut vox cito transit et paulatim minuitur ac deficit, verbum tamen per vocem expressum et nuntiatum in animo audientis manet alta mente repositum, et crescit dum accuratius expenditur et animo crebro revolvitur, eumque ad aliquid persequendum vel fugiendum accendit. Ita Joannis prædicatio, baptismus, fama et confluxus auditorum, cito defecit : Christi vero doctrina, baptismus, religio, notitia et cultus crevit, manetque in æternum. Unde idem Joannes dixit, Joan. III. *Illum oportet crescere, me autem minui*. Sicut enim lumen Luciferi non quidem extinguitur, sed obruitur tamen et occultatur a lumine sequentis solis : sic fama Joannis a fama et celebritate Christi. Quarto, quia fuit vox silentium imperans, et auditores disponens ad futuram Chris-